

quod imitentur agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui praesunt, ut eorum potentia quanto magna exterius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur: ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Ne enim praesidentis animus ad elationem potestatis suae delectatione rapiatur, recte per quemdam sapientem dicitur: ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis. Hinc etiam Petrus ait: non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Hinc per semetipsam Veritas ad altiora nos virtutum merita provocans, dicit: scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Hinc est quod servum est ex suscepto regimine elatum, quae post supplicia maneant, indicat, dicens: quod si dixerit malus ille servus in corde suo: moram facit Dominus meus venire, et cooperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis; veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex simulatione disciplinae ministerium regiminis vertit in usum dominationis: et tamen nonnumquam gravius delinquitur si inter perversos plus aequalitas, quam disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnationi percussit. Hinc namque divina ei voce dicitur: honorasti filios tuos magis quam me. Hinc Pastores increpat per Prophetam, dicens: quod fractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis. Abjectus enim reducitur cum quisque in culpa lapsus, ad statum justitiae ex pastoralis sollicitudinis